



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

26. An qui detinetur in pulsandis organis, vel transferendis libris ex una parte ad alteram, vel thure præbendo, &c. teneatur per seipsum illam partem recitare, si saltem non audierit? Idem est ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

negatiuam, quam ipse tenet, vocat tantum probabilitatem.

¶ In Ref. q. hic est supra 3. in cas. 5.

Nota etiam hic obiter id quod alibi etiam notauimus cum Soto, & Valentia, quibus nunc addo Castum Palaum *ubi supra*, puncti 1. §. 1. num. 5. probabile esse, cum Episcopus ordinandis iniungit aliquos Psalmos, & litanias recitare, nolle sub graui culpa obligare; sed ex quadam honestate, & decentia. Et Homobonus de Bonis in supradicto casu ex Azorio, & Layman putat etiam supradictos Clericos non peccare nisi venialiter. Ita ille in *consult. cas. conscient. vol. 2. part. 5. respons. 210.*

RESOL. XXIV.

An Religiosus, seu Clericus, qui manet antequam professionem emitteret, vel Subdiaconatum suscipere, recitauit Officium, teneatur, hoc non obstante, illud iterum recitare? Et. part. 6. tract. 7. & Misc. 2. Ref. 8.

Sup. hoc in Ref. præterita §. Sed, & lege infra doctrinam §. 1. Ref. 66.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Bonacina *tom. 1. de Horis Canonicis, disp. 1. quæst. 2. punct. 5. num. 11.* Tum quia adimpletio præcepti supponit obligationem: sed qui officium ante Ordinis, vel possessionis, aut saltem collationis beneficii susceptionem recitauit, non habebat onus & obligationem officij recitandi; ergo non satisfecit præcepto officij. Ergo suscepto Ordine, vel possessione beneficii tenetur iterum recitare pro rara temporis, quo ad Ordinem euectus est; præceptum enim adimpletur actuali recitatione: tum quia horæ Canonice recitantur nomine Ecclesie; qui autem diuinum officium ante Ordinis susceptionem recitauit, non dicitur nomine Ecclesie recitasse; cum nondum esset Minister ad hoc deputatus: tum quia sicut non satisfacit præcepto, qui diuinum officium recitat hodie, ut adimpleat onus, quo diuinum officium crastina die persolvere debet, ita neque obligationi satisfacit, qui officium recitat, antequam ordinem sacrum suscipiat: utraque enim obligatio est affixa temporis, & personæ obstrictæ oneri diuini officij.

2. Non desinam tamen adnotare negatiuam sententiam tanquam probabilem admittere Trullench in *Decalog. tom. 1. l. 1. cap. 7. dub. 13. num. 3.* quia potuit anticipatè solvere. Facit pro hac opinione auctoritas Doctorum, quos citauit in *part. 5. tract. 3. resol. 33.* assertentium, quod qui manet communicauit, non tenetur postea, si incidat eadem die in periculum mortis, viaticum sumere: quia cum manet sacram sumpsit Eucharistiam, moraliter obligatio præcepti aderat: ergo adimpleuit præceptum.

Que nunc inuenitur in to. 2. tr. 2. Ref. 74 & 6.

RESOL. XXV.

An qui vouit recitare Officium Sancti particularis in die, quo debet recitare de altero Sancto teneatur duo Officia recitare?

Et an si alicui deficiat Breuiarium Romanum, possit, imò debeat recitare per alium approbatum, quod prae manibus habet, etiam si breuius sit? Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. Ref. 25.

Sup. hoc infra in Ref. x. 12. §. Nota secundo, ad lin. 7. & vers. Nec obstat.

§. 1. **N**egatiuam sententiam probabilem putat Escobar à Corto *tract. de Hor. Can. quæst. 3. §. 1. num. 10.* vbi sic ait: Dum quis vouit recitare Officium Sancti particularis, ut puta, Beate Mariæ, in die quo secundum Breuiarium Romanum dicen-

dum est de alio Sancto, vel de feria, quia tenetur duo Officia recitare illo die, vnum de B. Mariæ, alterum de feria, vel de Sancto secundum Breuiarium Romanum; Contrarium tamen non improbabile reputo, nempe recitatione vnius Officij satisfacere utrique obligationi: Tum quia valde probabile est, quod adstrictius recitationi Horarum Canonicarum duplici onere Ordinis, nempe Sacri, & Beneficij satis fit vnum Officium tantum recitando, & omitendo, vnum solum nanciscitur peccatum; cum in substantia obligationi satisfaciat. Et sic votum adimplebit recitatione alterius Officij, & cum obligatione Officij diei recitando Officium voti: nihilominus tamen hoc subitico melius sententiam iudicid. Ita ille. Sed ego affirmatiuæ sententiæ adhæc cum Sancto *tract. de Hor. Canon. lib. 2. quæst. 130.*

2. Notandum est hic obiter, id quod assertit Cronfiers in *Regul. D. Francisci, cap. 3. sect. 1.* vbi sic ait: Etiam circa Horas Canonicas, putarem peccatum committi ab eo qui illas negligenter obtentu defectus Breuiarij Romani, si aliud ad manum habeat, vel habere possit. Obligantur enim fratres primò ad Officium Diuinum, deinde ad modum eius, quod posterius, si non possint implete, prius autem sic, peccant si non implent. Et idè docuit Escobar, vbi supra, n. 3. quod si deficiat Breuiarium Romanum, poterit, imò, & debet recitare per aliud approbatum, quod prae manibus est, & qui potens non est totum Officium recitare per Romanum, & potest recitare per aliud Breuiarium approbatum, quia est breuius, satius erit per hoc recitare, quam alterum omittere.

RESOL. XXVI.

An qui detinet in pulsandis organis, vel transfereendis libris ex vna parte ad aliam, vel thure præbendo, &c. teneatur per se ipsam illam partem recitare, si saltem non audierit?

Idem est dicendum de eo, qui vbi bene pronunciat Lectionem in Choro iniunctam, occupatur, dum Chorus canit, in ea perlegenda, & excusatur ab auditione, aut recitatione eorum, que tunc à Choro dicuntur? Ex p. 2. tr. 12. Ref. 13.

§. 1. **A**ffirmatiuè responderi Suarez de relig. *tom. 2. lib. 4. cap. 14. num. 13.* & alij. At mihi probabilis videtur etiam contraria sententia, quam docet Layman in *tract. mor. lib. 4. tract. 5. cap. 5. num. 7.* Mollesius in *summa, tom. 1. tractat. 5. cap. 1. num. 21.* Azorius *part. 1. lib. 10. cap. 13. q. 20.* Naldus *verb. Officium diuinum, num. 7.* Aragon. in *2. 2. quæst. 83. art. 12. in fin.* & Reginaldus *tom. 2. lib. 18. cap. 13. num. 188.* ita asserens: [Ad hanc causam referri potest occupatio querendi Psalmos, aut perlegendi aliquid aliud choro necessarium, ut querentis prunas ad thurificandum, ac thurificandi tempore Magnificat, & Benedictus, aut pulsandi Organa: quod enim illis sic occupatis chorus interea recitat, aut cantat, à se nec dictum, nec auditum, non suppletentes, non videntur peccare, eò quod Chorus, cuius ministerio seruiunt, tam suo, quam aliorum administrantium nomine recitat, aut cantat.] Ita ille. Et Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 24. dub. 16. n. 14.* cum Ioan. de la Cruz in *direct. conscient. part. 1. Precept. 3. art. 3. dub. 7. concl. 1.*

2. Idem dicendum est de eo, qui vbi bene pronunciat lectionem in choro iniunctam, occupatur, dum Chorus canit, in ea perlegenda; excusatur enim ab auditione, aut recitatione eorum quæ tunc à Choro

choro dicuntur: & ita docet Raphael della Torre in
1.2. tom. 1. contr. diff. 7. n. 12.

RESOL. XXVII.

An Coadiutoria cum futura successione inducat obli-
gationem recitandi Horas Canonicas? Ex p. 5. tit. 13.
& Misc. 1. Rel. 75.

Libania semper ferax fuit doctorum ho-
minum tam in legali, quam in Theologi-
ca professione; & inter illos non multis abhinc an-
nis floruit Sebastianus Acosta, qui circa presentem
questionem affirmatiuam sententiam docuit in
Bul. Cruc. quest. 75. vbi sic ait. Cum vsus horum
coadiutorum sit modicus in Ecclesia Dei, non agi-
tatur haec questio à Doctoribus. Ego tamen existi-
mo praedictos coadiutores Canonicorum teneri sub
mortali diuino officium recitare. Adducor autem
vt ita credam ex eo fundamento quòd huiusmodi
coadiutoria ex forma & tenore Bullarum & ex in-
tentione Pontificis concedentis; habent rationem
beneficij, pròindeque litterae Apostolicae commit-
tantur Iudici Apostolico in forma Dignum; vt pro-
uultum examinet in forma iuris, & si ipsum dignum
inuentum, auctoritate Apostolica mittat in possessione
coadiutoria; & de facto mittuntur coadiutores in pos-
sessionem eisdem solemnitatibus, quibus Canonici
sedendo in choro in stallis, & in loco Capituli tan-
gendo manibus frumentum, argentum, &c. Imò & iu-
ter Apostolicus confert prouiso coadiutorem per
impulsionem papae, facta prius fidei professione iuxta
c. Ego N. de uirum an. quae omnia non reperiuntur,
nisi in collatione & possessione veri beneficij. Prae-
terea nisi coadiutoriae essent proprie beneficia, non
posset coadiutores ad titulum illarum ad factos Or-
dines promoueri, sed passim coadiutores ad titulum
illarum ordinantur; ergo coadiutoriae sunt verè, &
proprie beneficia. Vltimò, quoniam praedicti coadiu-
tores gaudent omnibus priuilegijs Canonicorum;
eliguntur enim iam in conferuatores, & a Sede Apo-
stolica deputantur iudices Apostolici, cum tamen ad
hoc munus non quolibet beneficium, sed dignitas
requiritur; ex cap. finali, de offic. iud. deleg. Ita Aco-
sta loco citato.

1. Sed his non obstantibus contrariae senten-
tiae adherendum esse puto. Dico igitur coadiuto-
riam concessam alicui assignata aliqua portione pro
congrua, & cum futura successione non esse benefi-
cium, vt declarauit Paulus V. tenet Suarez lib. 4. de
Horis Canon. cap. 22. num. 19. & alijs, ergo non
obligat ad Horas Canonicas; & certè quia coadiu-
tori datur potestas succedendi in beneficio post pro-
prietarij mortem, apparet quòd non confertur ei be-
neficium proprietarij; nam alias beneficium in duo-
bus existeret, quod est absurdum. Neque obstat motus
proprietario non requiri nouam collationem;
quia haec prouenit ex eo, quòd cum datur coadiuto-
ria, beneficium tunc proprietarij confertur coadiu-
tori; non absolute, sed dependenter à proprietarij
mortem; quare mortuo proprietario tunc habet, effe-
ctum collatio, & coadiutor beneficium obtinet; &
ita hanc sententiam docet post Suarez vbi supr. Ca-
strus Palauz tom. 2. tractat. disputat. 2. punct. 1. §. 2.
num. 7. vbi etiam citat Azorium; Garziam & Bo-
nacinum, alias etiam rationes adducens ad firman-
dum coadiutoriam non inducere obligationem reci-
tandi Horas Canonicas.

Tom. III.

RESOL. XXVIII.

An qui habet Officium, cum quo consistere non potest
Horarum Canonicarum lectio excusetur ab ea-
rum recitatione? Ex part. 7. tract. 12. & Misc. 2.
Rel. 1.

Affirmatiuè respondet Caramuel in Regu-
lam D. Benedic. disput. 116. num. 1438. vbi sic ait. Qui ex officio sibi legitime iniuncto sin-
gulis diebus duodecim horis integris occupatur non
tenetur legere officium diuinum; licet Suarez affir-
mat, eum qui habet officium, quo cum consistit Ho-
rarum lectio; debere vel illud relinquare; vel petere
dispensationem. Vtrumque tamen falsum est, & ex
ipsius Suarij doctrina propugnari non potest. Nam
asserente eodem auctore, qui ostentationis gratia
vult integro die actionem publicam literariam face-
re, potest omittere officium Diuinum vt ea me-
lius fiat; nec tenetur propositam actionem intermit-
tere. Atqui Petrus potius tenetur officio quam vele-
leitati satisfacere; ergo, cui licet potius officium
Canonicum omittere quam actionem ostentationis
vltro admissam, poterit etiam omittere potius
officium, quam conditionem seu dignitatem illam;
quam habet.

Sup. hoc le-
ge doctrinam
Ref. & 5. an-
not. 109.

2. Praeterea, si occupatio sit publica (puta si Pe-
trus sit aut Concilij Praeses, aut Regni Gubernator;
aut pauperum prouisor, aut Magister agrorum, &c.)
non potest Petrus praepone re publica publicis, nec
consensum est iussisse Pontifex vt communibus par-
ticularia praeponat, seruire debet Reipublicae, & Pa-
triae quando, & quantum potest; nec ei officium le-
gendum alicui debet esse impedimento.

3. Probatum id clarissime; Primò quia sicut
Pontifex non potest indifferet Horarum lectionem in
dammum salutis priuatae; sic nec in damnum salutis
publicae: ergo sicut Petrus non tenetur obedire Ec-
clesiasticae legi cum salutis graui detrimento; sic nec
cum graui detrimento Reipublicae.

4. Secundò; quia Pontifex noluit praecipere
officij Canonici lectionem in positus casibus; quod
probo euidenter. Summa esset imprudentia, velle
quod Suarius non scriberet doctissima illa volumina
quae illustrant Ecclesiam militantem; Imperitia es-
set, male quòd Petrus Horas legeret quam audiret
confessiones; rigor iniquus esset Pauliani ita lectio-
ne impedire; vt aegro grauius periclitanti opitulari
non posset: tyrannus; titulo recitationis praeci-
pere Ioanni; ne faueat, & seruiat Reipublicae adisten-
tia indigenti: Atque Ecclesiae; & Pontifici est iniu-
rius, qui ita ius Canonicum explicat, vt Legislato-
res habendi sint rigidi, tyranni, & imprudentes: er-
go dicendum est Pontifices noluisse in talibus casibus
ad Horarum recitationem obligare. Nempe, cum
ex officio suo aliquis habet occupationes ita graues,
vt non consistant cum Horarum lectione. Haec om-
nia Caramuel.

5. Sed existimat Trullench in Decal. tom. 1. Sup. doctri-
na contenta
in hac Ref.
& signanter
in hoc §. le-
ge Ref. seq.
per totam
& in tom. 8.
tit. ex Ref.
30. §. circa
voto.
cap. 7. dub. 28. num. 2. obligatum ad recitandum di-
uinum officium non posse voluntariè suscipere aliud
munus, & officium cuius executio impossibilis
sit cum recitatione Horarum, nam sic implicite vult
omissionem Horarum, modò non adsit grauis ne-
cessitas illius suscipiendi. Et ideo Machadus de Per-
fectio Confess. tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 3. docum. 3.
num. 5. Bassaeus in Floribus Tueloz. ver. Hora Ca-
nonica 6. n. 4. Moneta de Distrib. par. 2. q. 5. n. 25. &
28. & Oliuetius Bonartius de Horis Canonicis lib. 2.

0 2 133